

INFLAMMABILIA.

CARBO.

Ligni sani frustula urantur in vase clauso foraminulo instructo, ut partes omnes ope ignis volatiles abigantur. Cessante penitus fumo substantia nigra, porosa, friabilis et inflammabilis in pulverem trita in vase clauso usui servetur.

VIRTUS: Antiseptica; odorem putrescentem efficaciter corrigens.

Usus internus: Halitus oris putridus; ructus putridi. — **Externus** pro dentifricio. Insupergerendo: Ulcera putrida. — Item ad aquam a putredine præservandam et corrigendam; ad mel et sales varios dealbandos et purificandos; ad obtinendum acidum carbonicum.

SULPHUR PURIFICATUM.

SYN. *Sulfur; sulphur citrinum; sulphur nativum.*

SULPHUR SUBLIMATUM.

SYN. *Sulphur depuratum; sulphur subli-*

matum; flores sulphuris; flores sulphuris loti.

℞. Sulphuris vulgo venalis quantum placet.

In vase clauso balneo arenæ sublima;
dein magna quantitate aquæ fervidæ probe
ab omni acido sulfurico adhærente ablue,
sicca et usui serva.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

SYN. *Lac sulphuris; magisterium sulphuris.*

℞. Sulfureti calcis (vel sulfureti potassæ)
quantum placet.

Aquæ bullientis quantum opus,

Ut fiat solutio, cui instilla

Acidi acetici quantum satis,

Ut sulphur omne præcipitetur; dein cola
et præcipitatum probe edulcoratum et sic-
catum usui serva.

Vel:

℞. Sulfatis potassæ (vel sulfatis sodæ) probe
siccata et pulv. partes sedecim.

Carbonum pulv. partes tres.

Massa mixta in crucibulum inmissa forti

igni exponatur ut perfecte fluat; dein effusa

Solvatur in

Aquæ partibus sedecim.

Solutionem depone in cella humida per aliquot dies ut pars carbonum separetur; dein filtra liquorem flavo-rubicundum et instilla

Acidi sulfurici diluti quantum satis,

Ut sulphur omne præcipitetur.

Vel:

N. Potassæ quantum placet.

In sartagine ferrea igni expone et ferventi liquido per vices adde,

Sulphuris sublimati quantum liquor causticus solvere potest; dein cola per chartam et cum triplo aquæ mixto, instilla

Acidi sulfurici diluti quantum opus,

Ut sulphur omne præcipitetur, quod aqua probe ablutum, et siccatum usui serva.

NB. Operator caute vitet inspirationem gazis hydrogenii, quod durante processu magna quantitate ex massa avolat et quod incaute inspiratum suffocationem lethalem inducit.

PHOSPHORUS.

147

VIRTUS Sulphuris sublimati et præcipitati :

Leniter stimulans ; cathartica ; antipso-
rica ; diuretica ; expectorans.

Usus internus : Psora ; psora retropulsa ;
ulcera foetida ; morbi pulmonum atonici
pituïtosi ; hæmorrhoides dolentes ; obsti-
patio hæmorrhoidalis ; ædema post scar-
latinam ; paralysis ex vaporibus hydrargyri,
plumbi aut arsenici ; ptyalismus aliique
morbi ex hydrargyro producti. — *Externus*
forma unguenti : Psora ; morbi ex hydrar-
gyro.

NB. A quibusdam friciones cum sul-
phure in arthrodynia rheumatica et poda-
grica laudantur.

Dosis : Grana quindecim — triginta.

NB. Sulphur assumptum bilem in primis
viis decomponere, et in sulfuretum sodæ
mutare videtur.

PHOSPHORUS.

℞. Acidi phosphorici libras tres.

In crucibulo fusis adde continue mo-
vendo